

~~G. 1124~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

V-37

SIGNAT. MDCCCXIII.

DISPUTATIO ΑΥΔΟΚΕΥΔΣΤΗΝ

De

USU & APPLICATIONE TER-

minorum Metaphysicorum ad res Mysti-
cas seu Theologicas.

Cujus

SECTIO PRIOR In genere ventilat modum appli-
cationis plerorumque terminorum

POSTERIOR In specie UNIUS & UNIONIS, genui-

num usum expendit & abusum confutat. Utraq; Sophismatis

Photinianorum & Calvinianorum cumprimis,

tum aliis quoque Opposita

Jehovæ Triunius Auspiciis suscepta

Inque Florentissimâ ad Albim Leucoreâ.

SUB PRÆSIDIO

Viri

Plurimum Reverendi, Amplissimi atque Excellentissimi

DN. JOHANNIS SCHARFFII, S.S. Th.

D. & Profess. Extraordinarii diuque meritissimi, Logices item

atque Primæ Philosophiæ Ordinarii, celeberrimi,

DN. Præceptoris ac Patroni sui ætatem

suspiciendi.

liberioris Exercitij gratiâ proposita

à

DANIELE KLESCHIO IGLOWIENSE

Hungaro.

In Acroaterio Majore

A. O. R. M. DC. IL. ad diem Febr.

WITTEBERGÆ

Typis Johannis Röhneri Acad. Typogr.

1732

Avvocato et Clausuro Vro.

Di Andrea Guntsero. 29 local orator

Arguesimo offit Antwo et resp.



A L M Æ
Viginti quatuor Regalium Pastorum
F R A T E R N I T A T I,
Et in eâ, Viris

Admodùm Venerando, Excellentissimo, Plurimùm Reverendis, Clarissimis, quâ
Orthodoxâ Pietate, qua Humanitate Ornatissimis atq; Eximiis

Dn. SENIORI,

Coeterisq; ejusdem Contrubernii Adessoribus Gravissimis, Pastoribus in
Scepulo Civitatensibus atq; Oppidanis dignissimis,
vigilantissimis.

*Dnn. Favoribus & Amicis meis honoratissimis
meritoq; observandis*

S. P. D.

TRia nuper execrando atque ingrato rumor ad oras exteras sparserat susurro; nimis
*magno hinc molimine oppugnari Olympum, contemni Deos, eorumq; extremè posthaberi
regimen & cultum,* jamq; *Ψευδομοὺς* iste ipsum penetraverat Parnassum, referente atq;
Jovis implorante auxilium Mercurio, cui decisio communicatis Musarum votis extradita
est; Extremam illam & plusquam *Gyganream esse impudentiam,* quâ Cyclopes isti *Apol-
linis sedem* tot augustissimorum Atlantum robore suffultam munitamve imperuosè sed
ausu irritò adoriuntur, cum vel lippis tonsoribusque notum sit; Reges ipsos & Dynastas
sceptra sua huic submisisse. *Mich. Piccard. obs. Hist. Polit. Dec. 7. Camer. Med. Hist. cent. 3.
cap. 65. Francis. Junio. Kirchn. in OO. Istud latratus Cynicus est, quem nullus imitatur
Alexander, cui, non cum Diogene in vase (testudinis instar in testâ) delitescendum, quin
potius mente peragrandus & calamo perdomandus est orbis: Invidia est, quâ cum æsopico
illo cane infestantur lunæ splendorem tenebriones, in quos torquere liceat Rabinorum il-
lud: Jimmach Schemo Vezikro. Dij minorum Gentiû; tanto ne εἰς ἀγὼν ἢ ἀγῶν ἢ ἴω
δῆμων* contemptu grassari impunè debent? *Crimen est, in Deos sunt injuriæ. Vid. consti-
t. Frid: I. cognomento Barbarossa codici corporis insertam sub tit. Ne filius pro patre. Lansio.
Coshmann. in Resp. Helfr. Ulr. Hunno in Tract. de privil. Ad tertium & ultimum æquè
reponunt judices consilio quoq; Deorum adjuti, Grunnitum esse merum. nam & Deos
coli, Musasq; honoribus ætiam indoctorum & vel vervecum in patriâ natorum ore per-
vulgatum est. Middendorp: l. 1. cap. 3. Bocerus in Orat. Besold in dissert. de Jure A. Petra
Rebuff. Horat. Lucius l. lac. Frischet IV. D. in resol. quæst. Jurid. Tandem, quemadmo-
dum de regimine Deorum ita de aliorum felici at ab ipsismet haut cepto nedum intentato
sentiunt cursu laboribusq; doctis tamen ipsi cum asino illo pelle quidem leoninâ induto
non nisi rudere, licet vulgo rugire putentur. Vos verò, Viri Pl. Rev. Excell. Doctissimi,
quos jam olim de laboribus meis dextrè, & de honoribus meis judicare nunc idem planè
confido, talibus harpyis obvium fortè me favoris vestri dignemini aurâ, non enim deerunt,
qui me quoq; in patriam feliciter reducem dente Theonino sint arrosuri, contra quos, ut
me munirem, dedicationem præsentem Clariss. R. R. D. D. Vestrarum nominibus sacratam
adornavi Imq; eamq; statuo observantiæ erga vos pignus, arrham.*

M. DANIEL KLESCH, Autor & Respond.

Proœmium.

S Alomon Schweyger In Itinerario suo lib. 1. c. 7. refert, se in Hungaria quoddam oppidum nomine Marusch devenisse, ibique Sacerdotem quendam Arrianum offendisse, cum quo sibi copia colloquendi facta sit; Sciscitanti verò ipsi ex eodem num Veterum Arianorum, an verò recentiorum Photinianorum dogmatibus sit addictior? respondit; Se haresi illi nomen prorsus non dedisse, licet Arrianum se profiteretur, ea tamen credere, quæ in Symbolo extant Apostolico, de cætero id sedulo se agere, ut auditoribus suis & confratribus inculcet, ne verbis in religionis articulis & Theologiâ uterentur, quæ in Scripturâ S. natæ γρητὸν non reperiantur, ut sunt termini, Trinitatis, ὁμοουσιᾶς, ὑποστάσεως &c. Quod cum ille non de Ecclesiasticis modò terminis pronunciet, sed de Philosophicis quoque à quibus abstinendum prorsus censet, hanc causam impræsentiarum præoccupandam censemus, antequam cum Schveyygero ad oppidum Scopumque nobis propositum peregrinemur & descendamus; ita præliminiò paululùm subsistere, atque in amplissimo hoc campo devia quædam errorum lustra dispicere animus nobis est. Non verò ex Arrianis saltem, & qui eandem cum iis penè viam terunt, Calvinianis & Scholasticis, sed qui alterâ ex parte nobis obviam quoque venerint, ex Anabaptistis & Weigelianis aliisque μισοσόφοις sciscitabimur; quidnam illi in Theologiâ suâ & religionis articulis actitent? quidve auditoribus suis ita sedulo inculcent? An apud hos & quanto apud illos Philosophia sit in æstimo? An & quomodo termini ipsius ad res Theologicas applicandi adhibeantur? Respondebunt sanè Weigeliani & Anabaptistæ ἐμὲι ψεῖς peccantes; quod Philosophiæ in Theologiâ nullus sit usus: Asportaturi secum triplicia potissimùm argumentorum genera, è Scripturâ Sacrà, ratione & S. Patribus deprompta quæ singula exactissimè & sufficienter discussa, qui volet, videre potest apud B. Meisn. In proœm. Sobr. Phil. quæst. generali &c. pag. m. 48. seqq. At, uno verbo, dic Sodes Philosopho-Mastyx, unde tuas hasce, quas in contemptum Philosophiæ tornasti

ratiunculas, collegeris? Cujus, quæso, auxiliò usus es in com-
 pilandis hisce argutiunculis? Egregios sanè Sophistas, si Diis
 placet! quibus nisi Philosophia auxiliatrices præberet manus,
 ne argumenta quidem in nos stringere possent. Testimonia
 Patrum quod attinet, *quæ ex Tertulliano l. de præscr. adv. heret.*
Nazianzeno Orat. de Modest. in d. sp. observ. Augustino & c. aliisque
mutuantur, iis cõtraria adferimus & opponimus Tertullianum
Tertulliano, Augustino Augustinum, qui alibi Philosophiam tanti
æstimant, ut non dubitent adseverare; eam torpentes animos ex-
citare, atque à terrenis, fluxis & caducis rebus ad divinas & sempi-
ternas attollere & c. Vid. Augustin. l. 8. de Civ. Dei c. 9 Clemens Ale-
xandr. l. 1. & 6. Strom. Ipseque D. Hieronymus 3. part. Ep. ad
Eustach. Epist. 14. c. 11. Cyrillus & Chrysostomus, l. 1. adv. Jud.
qui Sapientiam hujus mundi è disciplinis Aristotelis derivât,
prolixius id ostendente & recensente Venerando Academiae nostræ Se-
niore Dn. D. Jacobo Martini, Domino Præceptore atque Hospite meo
debità observantiâ suspiciendo. Aggrediamur verò &, quod dici-
tur, intranscursu saltim videamus alteram ἐν ὑπεροχῇ exce-
dentium turmam, ubi primâ statim fronte se se nobis sistunt,
cum occæcatis Philosophiæ amasiis Calvinianis, Dd. Schola-
stici, & ii mancipia penè; audacter enim contra nos pronun-
ciant; non esse Spiritus Evangelici solis S. literis intentum esse, id,
quod factò ipso quoque adprobant, imò iudicium rationis Phi-
losophico habitu induta normam credendorum cõstituere solent. Petr.
à Soto p. 84. Assert. Cathol. fid. Nec minus Calviniani obstrepe-
ri illi absurdarum Φλυαρευῶν tibicines hallucinantur, quando
pedissequæ invitæ coronam reginæ imponunt, & aquilinâ qs.
quâdam rationis alâ subvolare volunt in sublimia mysteria
non sine dispendio animarum ἀεργβαλῆντες; Philosophiam in
quæstionibus fidei oraculi instar esse audiendam, per eandem in nobis
Sp. S. lucem accendi & c. & quæ alia multa sine fronte oggrun-
nit, χορηγὸς ipsorum, famosissimus ille Kekermannus l. 1. Syst. Theol.
cap. 4. p. 57. & l. 1. præcog. Phil. cap. 4. p. 80. Nos erroneis his opi-
nionibus nuncium mittentes ad mediam & Regiam veritatis
viam properamus, eam citra pulveris, ut ajunt, jactum inve-
stigaturi. Quæritur ergo: An Philosophia in Theologiâ habeat u-
sum?

Status Quæ-
stionis.

sum. ? Uterque hinc necessario prius est explicandus terminus
 quid per *Philosophiam*, quidve per *Theologiam* intelligamus, &
 deinde ad quaestionis decisionem deveniendum. Dicimus pri-
 mo: Vox *Theologia* secundum notationem duplicatam, sive *Theologia.*
 sensum tum *Objectivum* tum *Causalem* est, λόγος θεῶν & θεῶν &
 λόγος θεῶν & θεῶν, h. e. quat. notat doctrinam & sermonem DE
 DEO, non quemvis, sed quem DEUS ipse revelando inspiravit & i-
 nspirando revelavit. Dico hic, inspirando revelavit; quia intelli-
 go, non revelationem illam generalem, Rom. i. v. 19. & 20, sed
 specialem & peculiarem, factam per θεοπνευσίαν & inspirationem
 divinam, de qua Idem, 2. Tim. 3. v. 16. Sequestramus verò hic à
 cōceptu nostro *Theologiam* δεχέτυπον, & cōsideramus ἐκτυπον,
 quae est ἡ πρωτότυπος principiatū & mensuratum, nō quat accipitur
 ἁπλοῦς pro fide Christiana, aut μέσως pro functione ministerii Ec-
 clesiastici, sed ειδικῶς pro accuratā & perfectā mysteriorum divi-
 norum cognitione, conjunctā cum excellenti δυνάμει τῆς ἀντι-
 λεγομένης ἐλέγχειν καὶ ὀπισθοιῆσαι. Sub *Philosophia* nomine, in a- *Philosophia.*
 ctu signato & laxè comprehendi aliàs etiam solent illa discipli-
 narum genera, quae per se nata ad usum, nulla futura si hunc ab iis se-
 paratum siveris. Ita tamen hodiè *Philosophia* definiri consue-
 vit; quod sit, habitus animi sapientiā & prudentiā constans. Sive,
 Est Systema disciplinarum Theoreticarum & Practicarum. Non
 verò hinc venditamus *Philosophiam* ἐν ὑπαρξει, quat. existit
 aut reperitur in hoc vel isto subjecto concretè, Sed ἐν ἰδέῃ & in
 abstracto, qualis ex se & in suā naturā esse debet. Hoc modò
Philosophia est donum Dei & est res bona & ad *Theologiam* ne-
 cessaria atque utilis. *Necessaria* est, nim. necessitate ἡ ἐν εἶναι &
expedientia non necessitate τῆς εἶναι & *Essentia*. *Utilis* est, ad ter-
 minos explicandos, res distinctè proponendas, disputationes
 ritè instituendas & adversarios confutandos &c. quando ve-
 rò principia falsa ab adversariis obtruduntur, aut vera pravè
 applicantur, nihil hinc decedit ipsi *Philosophiæ*, ut ob id pro
 inutili & rejicula sit habenda. Nam, ut ad quaestionem di-
 rectè jam respondeamus; Distingvendum utique est inter ve-
 rum rei usum & inter ejusdem abusum, Inter id, quod fit, per se, &
 inter id quod fit, per accidens. Sanè ab usum terminorum per
 acci-



accidens oriri inde liquet, quia si falsa & absurda *per se* promoverent, idem omnes termini Philosophici, & ubique inque omni materiâ facturi essent cum à *per se ad de omni* valeat consequentia. Ergo idem etiam facturi essent in ipsâ Philosophiâ, quod absolum. Concedimus equidem Philosophiam concretè sumtam & *per accidens* propter pravum cui inhæret subjectum falsa principia continere posse, & terminos malè applicare; verùm, quemadmodum nec de rectâ ratione è cuiuscunque hominis, sic nec de Philosophiâ ex huius vel illius Philosophi mente judicandum est & studio, sapius enim fit, ut in nonnullis Philosophis ratio coacta voluntati navet operam, quæ cogit militare melioris sententiæ sibi consciam mentem. At quis, quæso, mox concludet: *Nonnulli Philosophi i philosophiâ abutuntur, Ergo ejus nullus est usus.* Ergo totaliter est rejicienda? Si enim omnia quibus homines abutuntur sunt abolenda, cur non Solem quoque ipsum è medio tollis, quippe quò multi olim ad Idololatriam abusi? Cur non Scripturam S. evertis funditus, quâ etiam Hæretici quivis dogmata sua palliare non erubescunt? Verùm *abusus non tollit verum rei usum.* Quomodo verò Philosophus terminos suos, quorum usus in superioribus facultatibus & præsertim Theologiâ esse debet, legitimè applicare & cum fructu adhibere possit, *fusè satis ostendit Excell. Dn. D. Keslerus In Proëm. Exam princip. Photin.* Nos ne vel actum agamus, aut in amplissimo hoc campo diutius detineamur, ad scopum properantes duo cum *Pl. Rever. & Excell. Dn. D. Præfide* huiusmodi Philosophi prærequirimus & statuimus officia; quorum unum absolvitur *accuratâ rerum philosophicarum terminorum & principiorum notitiâ*; Alterum eorundem genuino usu. Ut verò ductum *Ampliss. Dn. Præf. & Præceptoris nostri æternùm devenerandi* ritè sequamur & assequamur, quæ ab ipso in *Disp. de accur. Phil. Genere, de Philosophia & terminis Philosophicis*; hinc de *Metaphysicâ ejusque terminis* dicta volumus: ita tamen ut in eodem genere non planè subsistamus, sed ad modum simul applicandi plerosque terminos *tùm in genere tum in specie* descendamus, usum eorundem in Theologiâ eò modò exhibentes, quò ab adversariorum sophismatis & abusu vindicari possit.

Tenta-

Tentabimus id divinâ adjuti gratiâ, quâ, ut nobis adsit, ca-
lidis Votis imploramus, ne quicquam temerè vel contra Scri-
pturam S. asseramus, sed Philosophiam nostram ex eâ perficiamus,
gloriam DEI illustremus & Veritatem inquiramus.

Sit itaque

B. C. D.

SECTIONIS PRIORIS GE-
NERALIS.

Theorema I.

Metaphysicus docet cavetq; ne termini suæ
artis ad superiores materias sive res Theo-
logicas applicentur, nisi prius & discerna-
tur probè conceptus objectivus præci-
sione mentis ab alio, & inquiratur etiam
in formalem termini rationem per ulti-
matam unius ejusdemque conceptus ab-
stractionem.

Εξήγησης.

§. 1. Præsupponimus hîc quæstionem ei *Dei*, *An nim. termi-
ni Metaphysici ad Theologiam applicentur?* Hoc enim ex commu-
nissimo & tritissimo disputandi more nimio opere constat, &
supra de Philosophiâ & terminis Philosophicis in genere pro-
batum dedimus in proëmio. Quod si autem termini Philoso-
phici in foro Theologico adhibeantur & usum suum habeant,
cur eandem potestatem & jus derogemus inclutæ disciplina-
rum Philosophicarum Reginae, Primæ Philosophiæ, quæ Me-
taphysica dicitur, cujus in Theologiâ usus (*sive illum secundum
se sumas, sive talem, qualem vulgò utilitatem requirunt*) amplissi-
mus tamen iste est, & major quàm in ullâ aliâ disciplinâ Phi-
loso-

osophicâ, uti loquitur Pl Rever. & Excell. Dn D. Præses, quem prolixius etiam habet de re, Theor. Tr. P. Gen. Disp. l. de nat. & usu Metaph. pag. 5. & questione, An sit; differentem vide in citati operis questione præliminari.

§. 2. Præsupponimus etiam accuratam in tali Metaphyfico & distinctam terminorum cognitionem, uti supra in Proëm. quoque monuimus, non enim uti quis poterit his terminis aut eos applicare sine cognitione Metaphysicæ abstractâ, quam etiam prærequirit Celeberrimus Theologus B. Gesnerus, cujus hac de re testimonium & Encomium. Vid. in præfat. Metaph. Job. Versoris, prolixè citatum ab Excell. Dn. D. & Præceptore nostro Jac. Martini, in Præf. Exerc. Metaph.

§. 3. Termini verò Metaphysici, quos accuratè novisse & abstractè considerare debet Metaphysicus, quorumve $\chi\epsilon\iota\alpha$ in Theologiâ nobis commendatur, sunt potissimum: *Ens, Essentia, Existentia, principium, causa & effectus, actus & potentia, Unum & Unio, Mensura, norma, signum & signatum, Perfectum, absolutum & respectivum. Idem & diversum, simplex & compositum, communicabile, Incommunicabile, Pars, totum, finitum & infinitum, Independens, Increatum, necessarium, contingens, permanens, successivum, Substantia, Persona, suppositum, accidens, relatio, positivum, privativum, modaliter, realiter &c.* Ab his abstinere Theologus non potest, si ex tricis arduorum $\zeta\eta\tau\eta\mu\acute{\alpha}\tau\omega\upsilon$ vel saltem ex istrophis adversariorum & sophismatis ex Metaphysicæ abusu contortis expedire feliciter se se velit.

§. 4. Occurrunt sanè quæstiones in Controversiis Theologicis $\alpha\lambda\lambda\omicron\tau\epsilon\lambda\omicron\iota\varsigma$ contextæ terminis, quorum alter *Theologicus*, alter *communis & Metaphysicus* est, unde autem istum aliàs exponi oportebit, quàm ex lumine rationis & disciplinâ ad quam spectat. v. g. Disceptatur de *Entitate Creatoris & Creaturarum*; de *singularitate Dei conjunctâ cum Essentia communicabilitate*; de *finito & infinito* ratione $\lambda\omicron\gamma\omicron\varsigma$ ipsiusque carnis; de *actû & potestate* circa dictum Matth. 28. quod detorquetur ab iis qui ex diviniâ $\delta\upsilon\nu\alpha\mu\epsilon\iota$ non actu usurpatâ ipsam $\delta\upsilon\nu\alpha\mu\iota\nu$ negare præsumunt. Quæritur; *An persona divinitatis differant realiter, an modaliter, an ratione; an peccatum sit substantia vel accidens; an æterni*

ternitas DEI sit successiva &c. Illa & alia *ἐπινοήματα* per sinuosos
Metaphysicarum distinctionum anfractus in hac disputatio-
ne tractare aut decidere mihi non est integrum, qui hæc volet,
videre potest *Sobr. Phil. Meisn. Sectionem Quartam*. Id me uni-
cè hic acturum polliceor, ut usus terminorum Metaphysico-
rum cautè ac sobriè instituatur & ab abusu vindicetur, dum in
modum applicationis inquirò, cujus primarium requisitum,
sive, ut *Excellentissimus Dn. D. Præses in Disp. de accur. Phil. Gener.*
Tb. 15. appellare mavult, maximè necessarium medium dixi esse
Abstractionem.

§. 5. Primò omnium itaque Metaphysicus docet, ne de
terminorum suorum naturâ ex conditione hujus vel illius
subjecti judicetur, sed abstrahatur potius natura termini in se
consideranda. Hanc abstractionem subtilitatum Magister
Exerc. 343. s. 1. ita habentem in manum dat, cum ait: Abstra-
ctio mentalis dicitur eorum, quæ intellectione non habent
concretionem, vel quorum unum intelligitur, non intellectis
aliis. Finiunt clarius & brevius *actum mentis, quo apprehenso
uno non apprehendimus aliud. Sic Dn. D. Jac. Mart Cent. 10 quest.*
Illustr. d. 3. q. 1. Clariss. Dn. Præses Disp. de accur. Phil. Genere. §. 17.
& quem citat, Baranzenus, *part. 1. summ. Phil. disput. 3. q. 3* à Dn.
D. Calovio definitur, quod sit, *functio Intellectus, quæ mens nostra
rem à re præcisam liberat à cõditionibus individuantibus vel imperfe-
ctionibus accidentalibus & è statu singularitatis in universalem vel
eminentem deducit, ut distincta distinctè cognoscat. yvost. pag. 15.*

§. 6. Dicitur hæc *præcisiva mentalis*, quam non tam facilè
adsequetur quisquam, nisi à reali mentalem, à mentali præcisivâ
positivam & negativam & vicissim abstraxerit, de quibus hic pro-
lixè agere instituti nostri non est. Vide, *Perrev. Dn. Senioreem
& Præceptorem nostrum Jac. Mart. Exerc. Metaph. 8. theor. 9. p. m 310.*
Dn. Meisn. Phil. Sobr. p. 1. § 4. cap. 5. pag. 1069. & seq. Horum usus
etiam apud *Pl. Rev. Dn. D. Dannenhaw. Syll. 6. c. 9.* ea clariora fa-
ciet. Nominibus aliis insignitur; *avulsio, distractio, sejunctio,
Præcisio*. His acceptionibus vocolæ contentus, reliquos la-
bores sive Grammaticis sive Theologis in abstractionis *ὀνομα-
τιώδες* relinquens, calamus sistit noster ad *Dn. Meisn. Philos. Sobr.*

Abstractio.

p. 1. §. 1. p. 56 & seqq. Scheibl. l. 1. met. c. 7. n. 135. & Top. c. 25. n. 20. fufius
lecturum remittens. Ad rem.

Terminus
Personæ ab-
strahitur.

Photiniani
abstractio-
nem istam
negligunt.

Ut &
Calviniani.

§. 7. Ea verò est abstractionis hujus necessitas, ut sine eâ nihil quicquam liceat benè efficere, nam si per talem præcisionem universalia fiunt, & natura terminorum ex conceptu universali examinanda est, necessum erit, *ut rem quoad solam quidditatem concipiam, omnibus aliis, quæ in singularibus inveniuntur, materiâ, certo loco, præsentia & c. præcis.* E gr. Cum assumitur ex Metaphysicis terminus *personæ*, tum necessum utique est ut attendatur primò *conceptus ejus universalis*, qui definitione personæ exprimitur, deinde verò *ejusdem status & conditio* in certo subjecto v g. *in homine*. Jam personæ in homine convenit, ut sit una numero ab aliis distincta essentia; Ita Petrus est persona & habet unam numero essentiam ab Essentiâ numericâ Pauli distinctam, neque tamen conditio ista in conceptu termini universali habet locum; Ergo abstractio attendenda: quam cum Photiniani ex principiis philosophicis de personâ disputantes negligant, palàm est, quàm in seipso disputent, ineptasque neccant consequentias, quasi sequatur Christum reverà non esse hominem, si humanitas ejus non sit persona. At verò abstrahant primò humanam naturam à modo *suppositivitatatis sive personalitatis*, elucescet, humanitatem in se essentialiter consideratam, nihilominus perfectam esse, etiam si propriâ non subsistat personalitate, adeoque careat illo modo suppositivitatatis, qui aliàs solet superaddi juxta naturalem statum humanis naturis. Deinde distingvant inter *Existentiâ & Subsistentiam*; Natura humana in Christo habet quidem *actualem essentiam*, seu *Existentiâ propriam*, sed cum innitatur divinæ naturæ à quâ sustentatur, destruitur propria subsistentia. Modus autem iste, *quò pendet ab alio sustentante*, non destruit propriam ejus *existentiam*, uti nec *existentia ipsa filii DEI* intrinsecè constituit *quò existere humanæ naturæ*. In eundem penè Erroris Labyrinthum & devia quæq; feruntur Calviniani abstractionis adminiculo destituti, quando dicunt; *negatâ localitate humanæ naturæ ipsam humanitatem Christi nos tollere*. Sed nolunt, (aut non norunt) abstrahere substantiam huma-

humanitatis ab accidentibus tūm externis tūm internis, abstrahant ea, quæ rei essentiam immediatè consequuntur, ab iis, quæ ex defectu & imperfectione quâdam accidentali oriuntur, Et res & Orthodoxia nostra salva erit.

§. 8. Patet ergo, quod non in solâ termini cognitione subsistendum sit, & mox ad applicationem properandum, sed ultima etiam abstractio præmittenda, atque in formale termini inquirendum, nimirum ita in hac via progrediendū, non ut unus duntaxat cōceptus, objectivus hâc mentis præcisione discernatur ab alio, sed unus idemque conceptus per ultimam (ut vocant) abstractionem eruatur ex omnibus quibus ratione subjectorum, sive accidentibus sive imbecillitatibus subjacet. Multa enim termino conveniunt sæpè ratione certi subjecti, quæ in abstractione & proprio conceptu formalis rationis eidem tribui non debent; Idcirco accuratè & materiale rerum, h. e. conditiones & respectus reales discernendos à formali seu ratione abstractâ & generali. Et aliud esse rei abstractam quidditatem, & aliud specialem in certo subjecto conditionem & qualitatem, neque vel istam ex hâc æstimandam, vel hanc in istam inferendam esse. In quod multis modis impingunt Photiniani, dum accidentia rei in definitionem abstractam inferunt, quod in sequentibus demonstrabimus.

§. 9. Res exemplis fit manifestior: Applicatur ad mystica terminus Relationis, & quæritur; An tres personæ in divinis sint tres Relationes. Hic verò è Photinianis Goslavius & è Ramistis nonnulli, quæsitum hoc negantes hallucinantur, & dicunt planè à Φιλόσοφοι esse, tres personas in divinis constituere tres Relationes, ex eâ ratione cum Relatio sit accidens & dicat Esse in. Sed Respondemus inficiando hoc ipsorum fundamentum; Relatio in ultimâ suâ abstractione & quâ talis considerata dicit respectum realem ad alium terminum, quomodocunque etiam iste se habeat. Hinc ita definitur ab Excellentissimo Dn. D. Præside; Theor. Transc. P. Spec. Disp. IIX. pag. 1145. Th. 2. Relatio est id, quod formaliter refertur ad aliud etiam non accedente mentis operatione. Licet autem in prædicamentali- bus illud; Esse ad, sit conjunctum cum Esse in, hoc tamen non impedit, quò minus Relatio ut sic esse possit sine illo Esse in.

Ultimata
abstractio.

Inquisitio
in formali
termini.

Terminus
Relationis
in ultima suâ
abstractione
consideratur.

In formalem
relationem in-
viritur.

Ejus
applicatio.

Distingvendum utique est inter Relationis *Formale* & *Mate-
riale*: Formaliter & in abstractissimâ suâ ratione relatio nul-
lam involvit imperfectionem, sed tantummodò dicit *respe-
ctum AD*. Si quâ verò in relatione involvatur imperfectio, il-
la non relationi *quâ tali* & *informali*, sed *materiali* relationis
prædicamentalis adscribi debet tanquam accidentalis ejus
conditio. Malè ergo hallucinatores illi inde universaliter in-
ferunt. *Relatio prædicamentalis dicit, Esse in. Ergo omnis Relatio
est accidens.* Sanè relatio *transcendens* non dicit aut infert *acci-
dentalem inherentiam*, sed præscindit à *subsistentiâ* & *inherentiâ*:
Multò minus Relatio *subsistens*, quam è divinis literis Theolo-
gi profitentur, est confundenda cum *inherenti*. His ita sup-
positis rectè applicamus ita terminum; *Tres personæ in divinis
formaliter consideratæ, id est, non cum respectu ad essentiam; Sed
in & sub propriâ ratione omninò sunt tres relationes.* Hoc effatum
nec à Θεολογόν est nec à Φιλόσοφον. Nam ubicunque aliquis da-
tur, qui realiter dicitur Pater, & aliquis, qui dicitur realiter
Filius, Ibi etiam est realis Paternitas, & realis Filiatio. Ubi-
cunque est realis Paternitas & realis Filiatio, Ibi sunt relatio-
nes reales. Pari ratione exponenda rectius sunt, quæ subinde
disputantur de processione, quam (sicut & Paternitatem &
Filiationem) in divinis dari, Scriptura S. dubitare non per-
mittit; Accedit, quod omnia, quæ ad relationem requirun-
tur, eminenter in DEO reperiuntur juxta fidem nostram. Sed
castra transilire nolumus, videantur hac de re ipsi Theologi
fufius disputantes; Venerandus Dn. D. Jac. Martini in lib. 2.
de Tribus Eloh. fol. 103. & D. Gravverus in Cent. illustr. quæst.
Theol. disp. 4. Monendum verò hîc relationes istas non præ-
dicari De DEO secundum *rationem inherentiæ* ut in creaturis
quod est Imperfectionis, sed *per modum AD ALIUD se habentis*,
quemadmodum etiam aliæ *transcendentales relationes* v. grat.
Subjecti & adjuncti, mensuræ & mensurati &c. non inferunt
rationem inherentiæ sed tantum *respectum ad*.

Ampliatio.

§. 10. Non abs re quoque erit, si vel digito, quod ajunt,
aut nutu saltem indigitemus, quomodo termini transcenden-
tes in suâ ampliatâ ratione sint perpendendi; nimirum, ter-
minus

minus simplex datâ re aliquâ, cui non quadrat, nimium contractus magis magisque & ulterius extendi debet, atque ita abstrahi, ut sine discrimine ipsius rei possit ipsi applicari. quod Plur. Rever. & Excell. Dn. Præses in diss. de Actur. Phil. Gen. Th. 38. vocat. terminorum Ampliationem.

§. II. Ampliationis hujus mox elucescet usus ex exemplo, quod ad dilucidationem præced. apprimè faciet. Quæritur; An Personæ Divinitatis, quas relationes inter se invicem cum Theologis supra diximus, etiam realiter distinguantur? Negativam cum Kekermanno tenentium hîc non ponderabimus prolixè argumenta & rationes, cum in eo tantum occupentur ut *reale* cum *Essentiali* confundant. At si terminum *realis distinctionis* in sua justâ ampliatione attenderent, nunquam tam enormiter errarent; Non enim omnis *realis* distinctio est statim *essentialis*, quamvis omnis *essentialis* distinctio sit *realis*. & *reale* nihil aliud notat, quam *veritatem rei*, quod res verè sit id, quod dicitur esse; & *essentiale* verò importat simul modum & rationem attributionis, quod per *essentiam* sit id, quod esse dicitur. v. gr. In S. Eucharistiâ unio corporis Christi cum pane benedicto est *realis*, minimè tamen *essentialis*, h. e. *verissima* quidem & *realissima* est unio Sacramentalis panis & corporis non propter naturam & *Essentiam* sed per & propter institutionem divinam. Item DEUS dicitur mortuus *realiter* non tamen *essentialiter*, h. e. *reale mori* non competit Deo per naturam & *Essentiam*, sed per *idiotiam*. Sic ut ad quæstionem propositam deveniamus, dicimus; Personas in S. S. Trinitate distinguere *realiter* minimè tamen *essentialiter*. Licet quidem aliàs *res* & *Essentia* synonyma sint, aliustamen est usus conjugatorum. Amplianda itaque est terminus h. m. dicendo; quod *realis distinctio* non saltem sit eorum quæ differunt ut *res* & *res*, sed omnium eorum, quæ citra mentis fictionem ita distinguuntur ut unum non sit alterum, qualis *realis distinctio* datur inter modos oppositos seu relationes sibi mutuò incommunicabiles. Quæ Ampliatio termini probè Observanda est tum contra Kekermannum, qui modalem saltè distinctioem posse intervenire inter modos oppositos existimat; tum contra Photinianos, cum pro contradictoriis habent;

Terminus
Distinctionis
Realis ampliatur.

Applicatio.

essentia identitatem & modorum oppositorum in eadem essentia realem diversitatem. Dicimus enim nos: non distingvi modos essentia ab essentia realiter, sed distingvi modos à se invicem realiter. Nimirum in sanctissimo hoc *τῆς παναγίας καὶ Θεοῦ ἁγίου* mysterio, ubi, licet Personæ, sint ejusdem numerica & singularis essentia divinæ, differre tamen realiter dicuntur, in quantum personali caractere distingvuntur, sibi que mutuò sunt incommunicabiles, ut una persona ob proprium characterem hypostaticum non sit alia. Et hæc distinctio dicitur tantum realis quæ adhuc ulterius ampliari solet, ut omnibus illis competat quæcunque ita distingvuntur realiter, ut ut adhuc essentiam eandem habeant, sive numero sive specie eadem sit. Diversum hic sentit *Dn. D. Calovius & ἀνεπίστα* Metaphysicam hunc ampliationis statum haut admittere dicit. *Met. Div. pag. 595.* Verùm abundet hinc quisque suo sensu, qui ita ampliare terminum nolit, nobis, ut diximus, attingere ea saltem placuit, nimirum terminum realis distinctionis ita ampliandum esse, ob insignem ipsius Analogiam ad quam properamus.

Theorema II.

Applicatio terminorum Metaphysicorum ad res mysticas, uti quidem omninò fieri potest, ita tamen attendendum probè est, ut sobriè instituaturs & non nisi per analogiam ad eas accommodetur.

Explicatio.

S. 12. Hinc Regula Christiani Philosophi: Termini transcendentales non nisi ἀναλόγως de Deo & divinis usurpantur. Analogia verò, ut ex Metaph. notum est, duplex est, Alia Proportionis, Alia Attributionis. Posteriores hinc attendimus, quam iterum dispescit Perrever. Dn. D. Jac Mart. Exerc. Metaph. Exerc. III. & VIII pag. 82. & 280. Estque ea Analogia Attributionis. Poste.

vel *Extrinfeca* vel *Intrinfeca*. *Excell. Dn. Praeses Theor. Transc. Part. Gen. Diss. 4. Th. 24.* Hæc rursus bipartita est, vel cum *dependen- tia unius analogati ab alio*, vel *citra illam dependentiam*. Illa di- citur *αὐτὸς ἐν αὐτῷ ἐνός*, & reperitur vel in eminentibus, quomodo Ens est analogum ad Deum & creaturas nec non ad substan- tiam & accidens, vel in *prædicamentibus*, quomodo amicitia est analogata ad honestam utilem & jucundam. Altera *singu- laris est*, & ibi saltem locum obtinet ubi inferiora agnoscunt conceptum communem *inæqualiter*, ita ut unum præ alio *infi- nitè perfectiori modo* absque ulla habitudine inter sese eundem participet: quomodo *Generatio humana & divina* non cum ha- bitudine aut dependentiâ ab illa in generationis *formali* con- veniunt.

§. 13. *Diximus supra in Expl. Theor. I.* Terminos non æsti- mandos esse è rebus creatis, nec ex hujus vel illius subjecti statu & conditione, sed ubi ad mystica applicati deprehen- dantur, abstrahi debent ab his simul atque ab illis, & addimus nunc, *per analogiam formalis conceptus, formandus est*, qui ita fieri potest, *tum ob terminorum transcendentium communitatem, tum ob mysteriorum singularitatem*: scilicet *formale transcenden- tium iis, ad quæ fieri potest applicatio denegandum non est*, id tamen cavendum, *ne inferantur conditiones materiales, aut ex abjectæ creature conditione res æstimentur mystica*. Advertendum verò sedulo est, ne illa applicatio fiat contra naturam rerum quam *Theologia*, aut citra analogiæ fundamentum quod *Metaphysica* suppeditat.

§. 14. *Analogia fundamentum* dicimus; *Infinitam rerum di- stantiam*, quæ in applicatione duplicem fortitur respectum; Contingit enim *vel per attributionem perfectionis eminentem*, quæ adjudicanda est *principali*, si reperiatur in *minus principe analogato*, vel *per remotionem omnis imperfectionis* de qua in *sub- seq. Theorem.* acturi sumus. Sicuti etiam in *abstractione* duplex est via rem cognoscendi, una *positiva* indagans rem quæ est, de quib. in *preced. Theorem. Explic.* egimus. Altera *negativa* re- movendo quod non est, qualis *indagandi conceptum formalem*

*Analogia
fundamen-
tum.*

ratio

ratio cum primis obtinet in Ente perfectissimo, nec non in Entibus infima conditionis ut & in abstractissimis aliis.

§. 15. Inter Entitatem Creatoris & creaturarum quis ambigat infinitam esse distantiam, nihilominus tamen & Deo & reliquis rebus revera Entitas competit, modo tamen longè eminentiori Deo, quam creaturis. Imò per attributionem perfectionis Eminentem soli DEO adjudicatur. Hic enim solus ab יהוה fuit, dicitur יהוה אלהים Exod. 3. Mofi quarenti respondet Dominus יהוה אלהים אלהים אלהים Ero qui Ero. Et paulo post ait Moses יהוה אלהים אלהים אלהים Ero misit me ad vos. De hoc inquit Damascenus quod principalissimum omnium de Deo dictorum nominum sic: QUI EST; ut ita illud Mosis responsum, QUI EST MISIT ME, idem sit ac si diceret Ens misit me. Explicante Greg. M. in Orat. de Nativ. Chr. sti. Ex quibus salvâ tandem consequentiâ concludimus; Deum & Ens & Essentiam esse.

applicatio,

§. 16. Ens verò cum de Deo & creaturis dicitur, non univocè aut equivocè aut nominatenus tantum, sed quadantenus per analog. seu ἀναλόγως nim. per analogiam attributionis dicitur, quod de Entis affectionibus quæ in Deo reperiuntur pariter judicamus. Ubi enim Ens est ibi etiam Entis sunt affectiones, quia igitur in Deo Ens est, affectiones quoque Entis Deo attribuentur. Et quia affectiones sequuntur naturam sui subjecti, Et Ens analogicè & modo Eminentissimo in Deo reperitur, affectiones quoque Entis modo planè eodem in Deo erunt. e. g. ut Veritas, Bonitas, Potentia, Libertas, Intellectus &c. tribuuntur Deo & creaturis. At verò quomodo? non certè univocè & equali modo sed Analogicè & inaequaliter. Urgenda verò hîc est ea analogia, quam in applicatione duplicem sortiri diximus respectum, nim. per remotionem omnis imperfectionis & per attributionem perfectionis oriturque ex infinita rerum distantia rectè ex Soncinate monente Ampliss. Dn. D. Praside Theor. Tr. P. G. Diss. IV. Th. 27.

§. 17. At verò non modò in Philosophiâ sed in summis etiam mysteriis & fidei articulis rectè explicandis & contra adver-

adversarios sophisticantes & pertinaciter inde disputantes, propugnandis usus istius analogiæ illustris est. Ponamus Exemplum Theologicum: *Credimus reverà manducari ore corpus Dominicum in & sub pane Eucharistico.* Et hoc quidem ex divinis literis tantùm credimus atque probamus. Interim dum ogganiunt adversarii, quomodo id fieri possit, qui manducari queat corpus Christi? Non utique feliciter te ex ipsorum sophisticatibus expedies, nisi vim analogiæ urseris, quod nim. manducatio *analogicè* tribuatur corpori Dominico & pani Eucharistico; ita ut *in conceptu analogo* conveniant manducatio oralis corporis Christi & manducatio panis oralis hæc enim *primariò* manducatio est, quia Physica est: manducatio verò oralis corporis Christi *secundariò* manducatio est & propter illam Physicam, quia illud sacramentaliter cum pane unitum est; Quod accuratius scrutari & observare eos jubet *Clar. Jac. Mart. Exerc. Met. l. 2. Exerc. 4. theor. 7. pag. 710. qui ex orali manducatione corporis Christi univocam & Physicam inferri clamitant.*

§. 18. Sic quanta sit Analogiæ vis & usus contra Sophistas in admirando unionis personalis mysterio, vix dici potest. Non certè ab erroribus & blasphemis Calvinianorum vindicabis Idiomatum communicationem, quæ passim carni Christi appropriata dicuntur, nisi analogiam urseris. *Sanè divine proprietates de utraque Christi naturâ dicuntur.* Sed non nisi per modum analogiæ, nim. *τὸ πῶτος & καὶ θείας* dicuntur de divinitate, cui per se & primò insunt; *δευτέρας* verò & *καὶ ἀλλο* de humanitate, cui participativè tantùm propter unionem cum *λόγῳ* aristissimam competunt.

§. 19. Ita analogica obtinet terminorum applicatio, i. e. *conjuncta cum remotione omnis imperfectionis & eminenti solius formalis rationis attributione*: quando Pater in divinis dicitur principium reliquarum personarum, removeri enim debet à dicto principio; *Naturæ primitas, dependentiæ consecutio, principiati illatio &c.* In eminentiâ verò vindicari isti; *relatio originis & processions.* Pari ratione, cum *in divinis potentia generandi Patri tribuitur, & τὸ posse gigni filio,* removenda est hic omnis imperfectio, quam aliàs potentia importat, h. e. non concipienda est

est potentia illa imaginaria objectiva quæ actum excludit, quasi sub esse possibili fuerit DEI Filius, & Pater obtinuerit prius potentiam antequam eam in actum deduxerit: Longissime alienæ sunt hæc imperfectiones ab actu purissimo: verum potentia debet concipi summè actualis. Idque κατὰ ἀναλογίαν modo eminentissimo & huic mysterio convenienti; quod accuratè tenendum, ne vel Scholasticorum speculationibus indulgendo, vel Photinianorum Sophisticationibus quicquam concedendo, à simplicitate fidei abducamur, & ad errorum avia abripiamur, sed ea ὡς ἐν παρόδῳ; Plura hîc exempla cumulare nolumus, cum ex apposis satis cuivis constare possit quantus sit analogiæ istius usus.

§. 20. *Summa Summularum habe:* Tota Metaphysica est analogica, semperque analogiam attributionis attendit in suis terminis vel constituendis & generandis, vel applicandis & usurpandis, uti docet Pl. Rever. & Excell. Dn. Præses Theor. Transc. Part. Gen. Disp. IV. Th. 28. nos pergitur.

Theorema III.

Termini transcendentales antequam ad divina applicentur, ab omni imperfectione liberari & secundum perfectionem divinis unice accommodari debent.

Explicatio.

§. 21. Diximus Theor. proximè præced. Analogicam terminorum applicationem non saltem respicere eminentem formalem rationis attributionem, verum etiam omnis ab eâ imperfectionis remotionem, de quâ posteriori hîc acturi in specie sumus; licet verò ea, quæ hîc dicentur, supra quoque attigerimus, ubi simul uberius dici potuissent, ne tamen distingvenda absque omni ταυτολογία confundantur, Theorematis istius cum præcedenti connexionem eatenus respicimus, quæ terminum antequam ad res mysticas applicatur, ab omni imperfectione liberandum, ostendit; quod peculiari in hoc Theoremate consideratione (secuti ductum Plur. Rever. & Excell. Dn. Præsidis qui in fatis laudatâ illâ Disp. de accur. Phil. Genere, liberationem termini ab omni imperfectione, ut medium accuratè Philo-
sophan-

sophandi distinctum, post abstractionem, ampliationem & analogiam proponit) persequi & absolvere constituimus.

S. 22. Ordo verò iste & distincta proponendi membra ratio, ut hoc passu militet, & à nobis quoque acceptetur, ex eâ ratione inducimur; Quando enim tendimus ad *eminens*, ita progredimur, ut nim. abstrahamus eò modo, quò cognoscimus; Cognoscimus verò *quid non sit*, abstrahimus, *quod ejus perfectioni absit*. quid sit quod abstractio relinquit in viâ nemo ullus intellexerit. Via quasi abstractio est, hic verè via, quia ubi sistat mens lassâ quærendi est *Ὅς ἀπερίοιστον*. Quid causâ? Imperfectiones meras cogitamus, quando hoc perfectissimum volumus ab his abstrahimus, in his abstrahimus, quod abstrahimus, conceptum reverà nostrum, *Ideam Analogicam*, Imperfectæ causæ effectum imperfectius abstrahimus, dum tentamus *Eminens*.

S. 23. Perfectionem in *Eminent*i ut inveniamus, abstrahimus naturam, & removemus omnem imperfectionis labem. *Formalis ratio* perfectionis solet alias exprimi negatione, quâ ita abstractè in Ente concipitur; *τὸ non destitui us, quæ ad integritatem vel ad esse rei pertinent* quod quidem de *transcendentali essentia* perfectione verum est, sed non videtur adhuc pertingere aut exhaurire naturam *perfectionis absolute*, quæ est *Eminentia*. *Eminens* enim dicitur, non tantum quod *emineat super omnia* sed & quod *absque ulla sit habitudine*, ut limitetur. Hinc quod *eminentissimo modo & absolutissime* perfectum est, Omnem includit *perfectionem* continentia *eminenti* & sibi convenienti. Omnem excludit *imperfectionem*, tum *privativam*, cum nihil desit ipsi, ad integritatem sibi debitam: tum *negativam*, ut nihil desit ipsi perfectionis possibilis, quæ alteri saltem debetur: scilicet *formaliter*, huic verò vindicatur *eminenter*. Ita DEUS absolutissime planè perfectus est, quia in ipso, velut fonte omnium rerum perfectiones inveniuntur, Ergo multò perfectior priusquam abstrahitur DEUS Ter Opt. Max. Ipse *n. in se, secundum essentiam* abstractus est, ut à nullo *perficibilis*, ipse *αὐτοθεός* & solus sua perfectio, nihilque ab eò velut còparte abstrahi potest. Abstrahes à materiâ? ecce in confuso

*Perfectio
Eminens.*

conceptu *αυτῷ*, neque etiam possumus *inter abstractum & concretum* in ipso distingvere, quia distinctissimus est; simplicissimus est, *quia simplicitatis præscindenda in capax*. Ulterius: abstrahes in DEO *subjectum?* est *αυτῷ*; *Existentiã?* est *οἷον*, *omne ejus ipse, ipse omnia*. Ens est per Essentiã nec utrumque tamen licet cogitare de ejus essentiã. *Substantia* est, sed supra ordinem substantiarum. Abstrahes *conditiones individuantes?* non habet, *quia singularissimus*: totus oculus, pes, manus est, *quia nec pedem, nec manum, nec oculum habet*: habet omnia, *quia nihil, quod ex se creaturã*. Vitam agit perfectissimam, *quia nullum animæ gradum habet, quo vivat*. Scit exquisitissimè, *quia nec à priori nec à posteriori*. Perfectissimè intelligit, *quia non habet intellectum in actu primo*. Liberrimum quid est, *sed sine mutabilitate, completissimum, sed sine compositione*. Affectus perfectissimos habet, *quia nullas passiones*. Summa; totus perfectissimus est, *sed sine totalitate*.

§. 24. Ad eum modum omnes termini, qui impositi sunt creaturis, adeoque aliquid imperfectionis involvunt, purgandi sunt ab eâ, & non paucæ, sed ne una quidem imperfectio relinquenda est, & contra, quicquid perfectionis in creaturis reperitur, id omne DEO tribuendum esse: *aut formaliter & secundum conceptum proprium*, quod in abstractã suã ratione nullam imperfectionem infert, ut sunt Potentia, Sapientia, Bonitas, Intellectus, Voluntas, quæ supra §. 16. DEO tribui diximus, non quidem eâ ratione, quã creaturis & *univocè* sed *analogicè* & longè perfectiori modo, omnes removendo imperfectiones quas *de materiali* important in creaturis, ut: *distinctum esse realiter, inesse accidentaliter, terminum habere &c.* aut *virtualiter & secundum eminentiam* quod in DEO sunt perfectiones, quæ tales sunt *secundum quid*, & involvunt *formaliter* imperfectionem, commercium puta cum materiã vel mutabilitatem. e. gr. *Visus, discursus &c.* Hæ DEO tribuuntur *eminenter* tum ratione *excellentiæ*: quia excellentiores perfectiones sunt in DEO, tum ratione *potentiæ*, quia ipse eas potenter produxit & nobiliori modo præstare potest, quæcunque earum sunt.

§. 25. Est verò hujus loci *ἀποδείξις* observanda, quâ occasionem distingvendi attributa divina ostendunt, vel *ex distinctione rerum positivarum*, quæ per attributa DEI à DEO remouentur vel *à diversitate operationum in creaturis &c.*: enasci ut Latius *Cf. Scheiblerus l. 2. Met. c. 3. n. 15. & alij.*

§. 26. Quod si igitur Philosophus etiam iis rebus occupatus, ad quas cognoscendas mens humana naturaliter pervenire potest, necesse habet terminos, antequam DEO & divinis attribuat, ab omni imperfectione liberare, quanto magis, quando in arduis fidei mysteriis termini primò creaturis impositi adhibentur, omnem imperfectionis labem auferre debebant illi, qui tantam rem tam infeliciter in se suscipiunt. Quod cum planè negligant, res infinitæ distantia confundunt, & nefandam divinis mysteriis inferunt injuriam.

§. 27. Proponi solet istud exemplum; *In divinis persona dicitur generare personam.* Quod ut à strophis & cavillis hæreticorum vindicetur necessum omninò est ut removeatur omnis imperfectio, quæ adhæret naturali generationi in creaturis, quod nim. *temperis varietate variant per successonem prioris & posterioris &c.* Hæ inquam & omnes aliæ imperfectiones quæ adherent naturali generationi, removendæ prorsus sunt à divinâ & æternâ filii DEI generatione, secus enim res infinitæ distantia confunderentur: Quod si piè ponderarent Photiniani, non sanè in hoc arduo & imperscrutabili mysterio ita ineptirent, nec omnem generationem diversas numero essentias inducere garrirent. *Nam Generatio formaliter dicit communicationem ejusdem essentia, quam habet generans.* uti docet Celeberrimus Theologus Dn. D. Gravverus in cent. 1. Illustr. qu. Theolog. disp. 3. quæst. 6. Imperfectionis omnis ab hoc termino *Generationis* antequam applicetur, remotio-

Generatio

& Providentia divina ab imperfectione liberatur.

C 3

Non

Non enim concurrente defatigatur DEUS, quemadmodum
in agendo molestiam, ob vanitatem cui subjectæ sunt, sen-
tiunt creaturæ; verum *concurrere cum creaturis. Deo est ipsa
quies.*

§. 28. Ex his igitur & aliis exemplis manifestum evadit,
quando aurum defecatur à scoriis, h. e. *termini ab omni imper-
fectione liberantur*, demum fieri bonam applicationem. Id
tamen adhuc monendum videtur, *ut Metaphysicus, quantum fie-
ri possit, ab applicatione terminorum non necessariâ, etiam
si possint ab imperfectione liberati & purgati applicari*, facile enim
adversarii inde ansam calumniandi sibi sumunt, præsertim
verò imprudenter & incautè ageret, qui terminum olim du-
riusculè adhibitum contra hujus seculi hæreticòs in contro-
versis hodiernis urgeret. Deinde verò quod moneamus,
hoc est: *ut cautè hic agant disputatores, & Metaphysicus cum pri-
mis imò omnis Philosophus diligenter considerent, utrum terminus
habeat aliquid quod Deo reverà conveniat, remotâ imperfectione.*
Hinc non excusari posset is, qui terminum Deo, cui tamen res
ipsa non conveniret, applicare vellet, prætenderet verò, se
terminum ab omni imperfectione liberasse e. g. Phrasin hanc:
Persona Trinitatis sunt partes Dei essentielles: meritò repudiat,
quia conceptus termini, non convenit ei, cui tribuitur ter-
minus.

§. 29. Prolixior hic, quam constitui, factus sum, & præ-
ter spem in magnam disputatio nostra exerevit molem, Theo-
remata enim non integrum tractatum conscribere est ani-
mus, idèò que iis informari volo & exerceri, non docere, si, quò
tamen totus collimavi, ductum *Plur. Rever. & Excell. Dn. Præsi-
dis*, in satis laudatâ illâ *disp.* non ex asse sum assecutus, cordati,
projudicii sui dexteritate, æstimabunt ex æquo, & ingenii mei
tenuitati id adscribent. Nihil superaddere volui iis medi-
is & requisitis, quæ ad accuratiorem Philosophandi rationem
ipse requirit; nimirum 1. *Abstractionem distincti conceptus.* 2. *Eamque
plenariam & ultimam.* 3. *Inquisitionem in formalem termini ra-
tionem.* 4. *Ejus ampliationem.* 5. *Analogiam*, & denique 6. *Li-
berationem termini ab omni imperfectione.* Hæc omnia in appli-
catione

catione terminorum *Metaphysicorum ad res Theologicas sobriâ* non modò oppidò requiri, sed, quia plura adinvenire & addere non licuit (*quæ licet darentur, minus tamen necessaria essent*) benè sufficere ea judicavi.

§. 30. Operæ autem pretium fuerit, imò ad præsentis materiæ dilucidationem apprimè facere videtur, ut, quam totâ disputatione ostendimus, & ab abusu vindicavimus, *applicacionem nim. terminorum Metaphysicorum ad res Theologicas*, à vitiò *μετάβασις εἰς ἄλλο ἕξις* simul vindicemus. Ne tamen *ἕξις ἐν τῷ ἑωτέρῳ* commisisse dicamur, cum ea forte præoccupare consultius fuisset, tum quia disputationis hujus Sectionem priorem ita continuatam & perfectam esse diximus, methodo arbitrariâ & corollarii tantùm quasi locò annectimus.

Theorema IV.

Metaphysicus terminos suos ad Theologiã applicatos examinans, five redarguens abusum, five sobriorem edocens usum, non committit *μετάβασις εἰς ἄλλο ἕξις*.

§. 31. Scotus l. 3. sent. dist. 24: quæst. unic. scribit; *Ad id postremò devenisse Dd. Scholasticos, ut Philosophiam immiscerent Theologiæ, cujus etiam rei multis utilitatem commendat; Quo ipso verò (uti excusat ipsum è nostratibus quidam Theologus) non vult Theologiam mixtim ex Philosophiâ & S. Codice conflata esse, cum ibid. disputet, universam Theologiam solâ fide niti, quin & l. cit. impugnet Thomam, quod Theologiam scientiam statuerit, Sed hoc intendit, accuratius posterioribus seculis excultam esse Philosophiam & ejus ope atque subsidio planius doctiusque S. Scripturam esse explicatam.* Nos quando de *Metaphysicâ* (cujus terminos ad Theologiam applicari, atque in contextas plerasque in articulis fidei controversias diximus)

Explicatio.

mus) idem asserimus, non modò non *μεταβάσις* vitio accu-
sari, sed, quam meremur præ *scoto*, excusationem in nos po-
tiori jure transferre possumus. Quid enim frequentius, quam
Theologum excurrere in probationem alicujus quæstionis
Metaphysicæ, aut ejusdem destructionem, idque induto quasi
habitu Metaphysico, tùm *si res suæ scientiæ sine hoc præsupposito*
commodè explicari aut doceri vix possint. e. g. Si quærat *de prin-*
cipio primo fidei, de normâ controversiarum, de perfectione Scri-
pturæ, de Unitate, de Essentiâ, de Substantiâ, de Personalitate, de
dependentiâ in Articulo de Trinitate, &c. Ergone mox com-
mittetur transitus vitiosus? Ergone Metaphysicus, qui termi-
nos suos illic sive benè sive malè ac perversè applicatos exa-
minat, itidem saltum faciet indecorum? Minimè. Præfer-
tim verò in iis quæstionibus, ubi scilicet alterum extremorum
vel utrumque, aut *terminus Metaphysicus est, aut Metaphysico ter-*
mino vestitum. Quales sunt istæ: *An peccatum originis sit ac-*
cidens? An personæ divinæ differant realiter? An Essentiâ à Per-
sonâ differat realiter? An unio personalis sit causa communicationis
Idiomatum? Et in infinitis aliis, quæ ne intelligi quidem pos-
sunt absque Metaphysices cognitione.

§. 32. Adde, quod in Theologiâ plurimæ sint quæstio-
nes, quæ licet per se & intrinsecè non Theologicè sed po-
tius Metaphysicè; ad Theologiam tamen applicantur. V. gr.
An actus primus unius rei possit esse actus primus alterius rei? An
Substantia possit esse sine propriâ subsistentiâ; An unionem veram
insequatur communicatio; An propria communicari possint &c.
Harum sane decisio apprimè Theologo accuratiori necessaria
est, & non nisi subsidio Metaphysicæ fieri potest, at quis hunc
μεταβάσις committere dicet?

§. 33. Omnium verò minimè illiciti transitus accusari iste
potest, qui adversarios refutans & abusum eorum redarguens Me-
taphysicos terminos sive adhibet, sive impertinenter adhibitos exami-
nat; Vix enim ulla datur hæresis quæ non ad Metaphysicam
recurrat & heterodoxias suæ *μεταβάσις* ab eâ emendicari ten-
tet,

tet, quā in re omnium impudentissimi Photiniani abusum primæ Philosophiæ hæreticum nimis produnt, cum à rebus finitis *Abusus ad res Eminentes concludunt, & res mysticas è rebus naturalibus Photinia-* æstimant, indeq; porrò generalia extruunt principia, Impri *norum.* mis in mysterio SS. Trinitatis, contra *Essentiæ divinæ communicabilitatem, ἕνωσιν in unitate essentiæ pluralitatem, characteres personales, relationes subsistentes, distinctionem personarum realem, æternam filij Dei generationem, propriam Spiritus Sancti personalitatem.* &c. multas exceptiones & inanes Sophisticationes jactant, dum *essentiā, personas divinas, distinctionem realem, generationem æternam &c. æstimant è ratione essentiæ, personarum, distinctionis realis, generationis in naturæ terminis constitutæ, & consequenter transcendentia principia formant ad normam tantum, Essentiæ, personæ, distinctionis realis & generationis naturalium.* Ita absurdissimi illi Calviniani, *de necessitate rerum immutabili, causâ peccati, subsistentiæ & idiomatum divinarum incommunicabilitate, signis sacramentalibus, & absentia corporis & Sanguinis Christi reali &c.* disputantes, detestandum principiorum Philosophicorum in mysteriis divinis produnt abusum & expressis Sacris literis magnam inferunt vim, dum *judicium rationis præferunt potentie divinæ & impossibilia judicant, quæ à ratione ab ludere videntur, quæle est illud ipsorum τὸ πῶλον ἄλλοιοῦ: Natura finita non potest habere infinitum subsistendi modum, & innumera alia, quæ hîc omnia recensere maximi esset operis.*

Calvinianorum.

§. 34. Sed priusquam à diverticulo ad viam revertamur, id adhuc monendus est metaphysicus aut Theologus ex principiis Philosophicis cum hæreticis disputans, ne impingat, cogitet; *Metaphysicam suam ex Theologiâ potius esse perficiendam, non contra:* Sic dari posse naturam individuum ac singularem existentem sine propria bypostasi aut suppositalitate, Metaphysico S. literis non adjuto, obscura forsitan res est, cujus cognitio è Theologiâ perficienda est. Secus enim si Metaphysicus principia sua obtrudere velit Theologiæ maximam vim inferet. v. g. Asserat is; *Omne quod est ab alio, idem eo est naturâ posterior.* Ergone in Theologiâ hoc etiam verum? Ideòne in divinis filius Dei, qui est à Patre, erit Patre naturâ posterior. Item asserat Metaphysicus: *Quodcumq; Ens una-*

est es-

est essentia substantialis idem una sola est persona. Igitur Deus, ut unus est in essentia ita unus tantum erit in persona? Hoc scilicet est μέγα λίαν αίτημα propter quod olim quidam sinisterius de tota Philosophia judicarunt, eamq; cum Theologia committere non dubitarunt. Sed perversa omnia.

Definitio
μεταβά
σεως.

§. 35. Id nunc, ut ad propositum redeamus, exponendum rectius est, quod vitiosæ istæ μεταβάσεις non sint, licet aliâ ex parte ipsis genua labant. Nam, μετάβασις εἰς ἄλλο γένος est, quando quispiam ex principio verissimo quidem, peregrino tamen, demonstrare conatur affectionem in subiecto diverso ac opposito. Itaq; talis indecorus saltus fit, ex subiectis diversis, principiis autem veris, quorum in prædictis argumentis neutrum occurrit, uti falius evincit, & à μεταβάσεως vitio ea simul vindicat, Plurimum Reverendus & Excellentissimus Dn. D. Dannhaverus Philosophus ac Theologus celeberrimus, Fautor ac olim Præceptor meus atatem colendus. Id. Bon. Diss. & Mal. Soph. Sect. 2. cap. 4. §. 25.

§. 36. Quin imò nec in sequentibus argumentis damnata Logico μετάβασις est quando ex Metaphysicâ aut Physicâ concluditur: Quod propriè & sine tropo incubat, movetur, agit, loquitur &c. id est persona. Spiritus Sanctus propriè & sine tropo incubat, movetur, agit, loquitur. Ergo est persona. Nim. non inscitè & ἀλόγως ejusmodi argumentatio contra Photinianos instituitur, qui Spiritum S. solam virtutem aut potentiam divinam blasphemè asserunt. Similiter quando argumentantur nonnulli: Quicumque flet, loquitur, ratiocinatur &c. is est verus ac naturalis homo. Atqui Christus flevit, ratiocinatus, locutus est. Ergo Christus est verus ac naturalis homo. Nulla hic μετάβασις. Quamvis enim Spiritus Sanctus & Christus Entia sint, ut vocant, Theologica, sunt tamen reverà Entia, quibus hæc principia moveri, flere, &c. non repugnant.

§. 37. Hæc & similia alia si vitiosæ μεταβάσεως nomine venirent, fieret id, vel 1. quia principium accersitur è patria Metaphysicâ aut Physicâ. vel 2. quia subiectum Theologicum diversum est à subiectis Philosophicis. Neutra ratio convincit, non 1. quia diversitas scientiarum simpliciter non constituit illam μετάβασιν. Sed subiectorum oppositio. non 2. quia Ens & Christus, Item ens & Spiritus S. non differunt realiter licet bene diffe-

differant *accidentaliter* h. e. non occurrit ibi generis *subjecti* mutatio, sed retinetur utrobiq; idem, solo *accidentali* discrimine distinctum. Consideratio enim *Theologica* aut *Philosophica* accidens est. Sic & in aliis disciplinis non statim fit vitiosus transitus, quando *scientie* sub *alternantis* principia accommodantur ad *demonstrationem conclusionis alicujus subalternatæ*; qui enim principio quidem peregrino utitur, sed pro fine habet vel opinionem solam aut docendi facilitatem non demonstrationem, is *μεταβάσεως* accusari nequit.

§. 38. Igitur & Metaphysicus limites vitiosè transire dici non potest, qui declaraturus rem hujus scientiæ, terminos accersit è suâ domo eosq; adhibet, non *ut demonstret*, sed *demonstrationis modum doceat*, ac forinsecus juvet. Aliud omninò est; *ex peregrinis principiis aliquid demonstrare & concludere*, aliud, terminos *adhibere*, quibus res scientiæ illius rectè intelligas.

§. 39. Ut verò hujusmodi *ratiocinationibus* in omnium facultatum libris atq; commentariis nihil est usitatus, quod totâ die evenire videmus; *ita nihil insolentius est, quàm vitiosi saltus easdem accusare velle*. Principia enim Metaphysica ita sunt generalia ut eorundem usum sæpè nescias, cum non semper in ipsâ Philosophiâ talia se tibi sistant exempla, quod si tamen deinde alio habitu imbutus atq; ad Theologiam admissus occurrat tibi aliquid subjectum antea ignotum, illicò id, quod in genere aliquando didicisti, applicare licebit sine ullo vitio. E. G. Cum quæritur; *An peccatum originis sit substantia, an accidens?* Ibi ex *Theologiâ* cogor habere cognitam *subjecti* naturam. Ex *Metaphysicâ* verò novi, quæ sit *ratio substantiæ, quæ accidentis*; proinde sine difficultate applico; *Peccatum originis esse accidens*.

§. 40. Ex dictis his omnibus liquet; quantus sit *Metaphysicæ* in *Theologiâ*, imò totius *Philosophiæ* in omnibus superioribus facultatibus usus, non equidem *per se* sed *per accidens*. Nam si quis *Philosophiæ* per se usus esset in superioribus facultatibus; Is esset vel *δεσποτικός* vel *δούλικός* *herilis* aut *servilis* uti loquitur loc. antecit. Clariss. Dannhæwerus. Non ille est, quia *is repugnaret dignitati illarum scientiarum superiorum*. Non hic, quia *id obstat dignitati Philosophiæ, quæ libera est & nulli serviens*,
D 2 ut præ-

ut præclare testatur Philosophus 1. a. maj. Met. cap. 1. & 2. Hinc studium Philosophiæ est propter se h. e. propter sapientiam quâ potiti *Philosophi*, meritò dicendi σοφῶν. i. e. *Sapientes*, non *Sapientiæ studiosi* tantùm. Haut aliter atq; *Studiosus Theologiæ* cursu suo feliciter ad finem deducto, appellatur *Theologus*. Sed abrumpimus, & ad sectionem specialem disputationis nostræ properamus.

SECTIO POSTERIOR

IN SPECIE

De

UNO ET UNIONE.

Theorema 1.

Unum est, quod in se indivisum est.

EXPLICATIO.

§. 1. Generalia vidimus hæcenus, & quomodo usus terminorum Metaphysicorum universorum diffundat se per amplissimum Philosophiæ æquor. Nunc specialius paulò progrediemur, & Unam transcendentalem doctrinam de UNO Ingrediemur, visuri, cui bono illa nobis cedere possit in altioribus. Definitionem hîc proposuimus vulgatam, aut Descriptionem veriùs. Quis enim Logicas & accuratas Definitiones quærat in terminis eminentibus? Non omnium rerum quærenda est definitio, ipse Aristoteles inculcat 9. Met: c. 6. *Quicquid defini perfectè vult, debet esse in predicamento.* Prædicamenta namq; sunt classes rerum per genera, species & differentias dispositarum, docente Dn. Præside & Præceptore nostro Excell. Scharffio, *Instit. Log. Lib. 1. tract. 3. cap. 2.* Unum describimus hoc loco, quod *per se tale* est non quod *per accidens*. Unum *per accidens* est, quo plura Entia de se completa, extraessentialiter ad indivisionem quandam rediguntur. Estq; *vel ratione subjecti*, cum diversa accidentia in uno concurrunt, ut *Theologia & Philosophia* in homine, *dulcedo & Albedo* in lacte, *flavedo & dulcedo* in pomo. *vel ratione aggregationis*, idq; aut *cum ordine*, ut in Exercitu, in Republicâ, in mundo, aut *sine ordine*, ut in acervo lapidum aut tritici, in
strue

strue lignorum inordinatâ. *Conf. Dn D. Præs. Theor. Tr p 284 Dn. D. Calov. Metaph. Div. p. 272.* Verùm enim verò hîc istam unitatem attendimus quæ Enti intrinseca est, & veram ei indivisionem tribuit, quæ cum divisione nequit consistere. A deoq; unum per se hîc loci accipimus, quod *intrinsecè & essentialiter* sine complexione plurium Entium divisorum Ens constituit, quale unum homo est, in quo omnes partes incomplexorum quorundam Entium naturam induunt, quæ ob formam specificam accedentem informantur adeò, ut *Ens per se* inde verâ unione oriatur. Hoc vicissim in duplici differentiâ constitutum est aut enim est *Simplex & indivisum indivisibile*, quod nec actu divisum est, nec potentiâ divisibile; quale est $\omega\rho\omega\tau\omega\varsigma$ in Dec, $\delta\epsilon\upsilon\tau\acute{\epsilon}\rho\omega\varsigma$ in Angelis & formis omnibus. aut est *Compositum & indivisum divisibile* quod actu quidem non est divisum, potest tamen dividi: unum actu, multum potentiâ; ut corpus naturale. Nos utrumq; hoc loco conjungimus: quippe quibus *precisivè & in summâ abstractione* termini explicandi veniunt, ut & ad Deum & ad creaturas applicari commodè mereantur.

§. 2. Differentiæ loco *Formale* unius ponimus, nempe *Indivisionem*. Duo sunt in quâvis Entis affectione, 1. *Materiale* sive Entitas ipsa, quæ substernitur modo alicui & essentialitas in eò implicatur. 2. *Formale*, sive status aliquis Entis, sub quo Essentia rei à nobis aliter atq; aliter concipiatur. Ita hoc loco ipsam statim Essentiam involvimus, & quando ei unum addimus, nihil positivi superaddimus, sed modum duntaxat insinuamus; sub quo Entitas illa nobis *ratione nostrâ ratiocinatâ* apprehendatur. Hinc dicimus esse indivisionem: quæ non est simplex & pura negatio, hæc enim quomodo affectionem Entis positivi constitueret? Sed ponit aliquid reverà, licet non aliquid rei, tamen aliquid rationis ratiocinatæ, demonstrante *Cl. Dn. D. Præs. c. l.* Acutissimè Scaliger Exerc. 65. §. 5. *Unitas adeò positiva est, ut sit idem realiter cum Entitate.* Quocirca necessariò cognoscitur ejus essentia *in positione, non in negatione.* Conspirat nobiscum Aristoteles l. 4. metaph. c. 6. dicens: $\kappa\alpha\theta\omicron\lambda\upsilon\varsigma$ ὅσα μὴ ἔχῃ διαίρεσιν, ἢ μὴ ἔχῃ, $\tau\alpha\upsilon\tau\eta$ ἐν λέξει h. e. ea, quæ non habent divisionem, quæ non habent, eatenus sunt unum. Addimus: *In se indivisum*, ut distinguamus indivisionem *accidentalem*. v. g. quoad ubi vel locum

Unius
formalis
ratio.

ab essentiali seu Entitativa, quæ propriè adæquatam & specificam rei rationem exhibet. Addunt alii, & divisum à quolibet alio. Verùm ita angustior fit unius definitio. Ab omni æternitate unus fuit Deus, non tamen divisus à quolibet alio. Quippe aliud nihil præter & extra eum tàm extitit. Distingvendum ergo inter unius, formalem rationem & consequentem conditionem, inter principium constitutivum s. ουσιαστικόν & consecutivum s. ὑποκειμενον §. 3. Jam excutiamus ea quæ in usu applicationis occurrere solent. Controvertitur ibi de distinctione attributorum divinarum ab ipsâ Essentiâ divinâ. Largiuntur omnes saniores Theologi juxtâ Philosophiq; , non differre ea realiter sed esse reipsâ unum & simplicissimum τὸ cum ipsâ Essentiâ divinâ, adeoq; esse tantum inadæquatos conceptus Essentiæ divinæ, quibus illa aliter atq; aliter à nobis concipiatur. Conferatur Sibe. bl. l. 2. metaph. c. 3. n. 113. seqq. Excellentiss. Dn. Præses l. 2. Pneumat. Quæst. 3. Illustrari hæc per quàm commodè possunt, ex doctrinâ nostrâ de attributis ipsius Entis. Ea enim itidem non realiter distinguuntur ab Ente ipso, sed ipsam Entitatem Entis essentialiter in se implicant, idq; sub alio atq; alio statu nobis repræsentant. Sed & porro contra sophistas photinianos observetur; ut tres affectiones Entis non faciunt tria Entia: Ita nec tres personæ inferunt tres Essentias, sed sunt unius & indivisæ essentiæ tres ἰσότητες ἢ ἀρχαί, vel tres personalitates ut Theologi docent. Quod Mysterium ab æternis seculis tacium est nec ullo humano acumi pervium. Interim distingvendum & hic cum Thomâ. Inter rationes fidem antecedentes & inter rationes fidē subsequentes.

§. 4. Ita Photiniani viris equisq; tueri conantur, unum semper esse incommunicabile. Eò scil. fini, ut evertant Catholicam nostram fidem, quâ profiteamur; unam numero divinam Essentiam communicari omnibus tribus personis. sed faciliè huic arietati obviam itur per ea, quæ antè de formali unius ratione expedita dedimus. In indivisibilitate illâ consistit non in incommunicabilitate, nec opponitur unum communicationi, sed divisioni. Potest ergò præcisè loquendo salvari unitas, si maximè non adsit incommunicabilitas Id quod eruditè urget Pl. Rev. & Ampl. Dn. Præses Disp. de accur. Phil. Genere. Theol. 32, & 33. Nimirum non

non omnis incommunicabilitas repugnat individuo seu rei singulari, juxta Canonem apud eundem Dn. Pr. & Praeceptorem nostrum Met. Exempl. l. 2. c. 21. axiom. 2. Qui videatur hanc in rem pluribus Theor. Tr. p. 920. Quid? quod hac ipsâ doctrinâ unitas Essentiae divinae singularis mirificè adstruitur. Tantùm de uno quæq; habent, quantum de Ente dicit Aristoteles l. 4. met. c. 6. Quod ergo eminentissimo modo Ens est, etiam eminentissimo modo unum est, & quia Essentia divina infinitum distat ab essentiis creaturarum, idcirco etiam unitas Dei infinitum distabit ab unitate rerum naturalium. Non ergo mirum esse debet quod unitas Essentiae divinae subsistat tribus Personis, accuratè colligente sic Dn. Praeside Metaph. Exemplari l. 2. c. 1. axiom. 5.

Analogia

Theorema II.

Principium Unius divisibilis est unio, quæ est rerum plurium ad unum indivisum præsentissima conjunctio.

§. 5. Dicimus notanter; *unius divisibilis*. Nam in Deo, quia non sunt plures res unibiles, hinc nec unio accuratè in eo datur, sed unitas simplicissima. Quod & idem de Angelis, Formis item & accidentibus censendum venit. Absit tamen ut sub hoc uno divisibili etiam subsurnamus Personam Christi; Unio quidem in eâ datur ex diversis substantiis resultans, non tamen inde unum aliquod divisibile sive potestate tale, sive actu exsurgit ut ex Theologiâ rectius docetur. Quod semel assumpsit Christus nunquam deponit, manetq; hæc conjunctio indivisibilis & arctissima in omnem æternitatem. *Res ille plures*, ut in unum conjungi queant, requiritur talis habitudo, per quam se respiciant mutuo ut *δύναμις & ἐντελέχεια*, s. actus & potentia; aut analogicè saltem, ut una possit alteram perficere, altera ab alterâ perfici. Nam si utraq; sit potestas, non possunt adinvicem adoniri: Si utraq; actus, non potest exsurgere Ens per se, juxta Scaligeri istud Exerc. 6. §. 5. *Ex duobus actibus per se, in æternum non potest unum fieri actu*. Unde utraq; debet esse incompleta, aut certè alter-

utra,

utra, si non in Effendo saltem in subsistendo. Exempla præbent materia & forma in corpore naturali, corpus & anima in homine; ignis & ferrum in ferro ignito, mel & aqua in hydromeli. Terminus hujus unionis ἐνοσσιός, est unum indivisum. neq; enim dicis gratiâ illa fit, sed ut ex illa internâ κοινωνία unum aliquod sive suppositale, sive personale oriatur. Dicimus præsentissima conjunctio. Nam unio realis sine unitorum præsentia nulla est, & quæcunq; actu unita sunt, ea sibi etiam realiter non verbaliter sunt præsentia, & ubicunq; etiam una natura uniti est, durante unione, ibi & altera sit necesse est. Indivisionem enim infert unio, quæ negat divisionem, cujus summus utiq; gradus est localis distantia; Finge tibi animam à corpore absentem & unionem actuum solvisti: Vid. Calov. Met. div. p 317. B. Meisn. part. 1. Phil. Sobr. Sect. 1. c. 6. q. 5. & confer eundem Sect. 1. c. 2. q. 1. ubi hujus observationis contra Calvinianos documentum insigne datur. Errat ergo Kekermannus cum suis complicibus, unionem realem fingens inter unita locis disjunctissima, ut inter Petrum Romæ & Paulum Antiochiæ degentem. Non est vera ac realis hæc unio, sed impropria. Ad supra laudatum Dn. Præceptorem & Hospitem meum D. Jac. Mart. Prælect. L. 1. sect. 1. c. 12. Conficitur hinc ex eodem fundamento λόγος nunquam esse extra carnem suam sed ἀδιασάτως ἀδιαλύτως καὶ ἀχωρίως unitum adeò quidem, ut ubicunq; λόγος est, ibi caro sit, & ubicunq; caro est, ibi λόγος sit, nec ullibi, λόγος ubi non caro. Quicquid contra obstrepant Calvinisequæ, quorum Instantias explosit B. Meisn. part. 1. Sobr. Phil. Sect. 4. c. 2. q. 2.

Theorema III.

Ex unione naturaliter fluit communicatio: quæ est unius rei à pluribus possessio: aut plenius: Est actus quo propter unionem id, quod unius est proprium sine sui vel multiplicatione vel transfusione realiter
con-

confertur alteri unito, ad communem
possessionem, usurpationem & denomi-
nationem.

§. 6. Ubicumque est vera ac realis unio, ibi statim per na-
turalem quandam resultantiam sequitur unitorum commu-
nicatio. Evincitur id partim ex ratione *ipsorum unibilium*, Ubi
non potest utrumque esse incommunicabile, sed alterum *ad*
instar actus est, quod communicare & perficere, alterum *ad in-*
star potentia, quod perfici & actuari aptum natum est. Quic-
quid ergo unum habet *από τῶν* & *per essentiam*, id alterum ha-
bet *δευτέρας* & *per participationem*, partim ex ratione termini
ἑνοπιᾶς, quem diximus esse *unum indivisum*. Nam ut hic na-
turis communis est, ita *eadem in agendo, quod suum est agunt, sed*
cum communicatione alterius. Id quod contra Calvinianos no-
tandum, qui unionem *realem* videri volunt largiri, & tamen
communicationem *merè nominalem* esse asserunt. At quid
communicatio nominalis? Forsan titulus absq; re, h. e. sono-
rum mendacium.

Deductio.

§. 7. Communicatio autem consideratur, vel ratione
modi specialis, vel ratione *principij communicantis*, vel ratione *ex-*
tremorum participantium.

§. 8. Ratione *modi specialis* si consideratur, Communica-
tio alia est *naturalis*; quæ ab ipsa naturâ secundum commu-
nem naturæ cursum instituitur, talis communicatio est calo-
ris & unctionis ad ignem & ferrum; humectationis ad aquam
& spongiam; alia *supernaturalis*, quæ supra communem cur-
sum naturæ instituitur, à principio aliquo supernaturali. Hu-
jusmodi communicatio à Theologis quadruplex statuitur
1. *Essentialis*, quâ essentia divina ab omni æternitate tribus per-
sonis communis est. 2. *Spiritualis*, quæ mediante unione gra-
tiosâ & spiritali fit inter DEUM & sanctos. 3. *Sacramentalis*,
quæ in Cœnâ, inter panem & corpus Christi, Vinum & sangui-
nem Christi intercedit, 1. Cor. X, 16. 4. *Personalis*, quâ una
D
perfo-

sona communis est duabus naturis in Christo, de hisce Theologia, ad quam directè pertinent, uberius. *Ubi tamen nota;* Communicationem naturalem & supernaturalem differre dupliciter. 1. *Materialiter*, ratione rerum, quæ participant & participantur, quæ *in illâ*, sunt naturalia, vel naturali modo se habent. *In hac* autem sunt mystica, & mysticâ ratione se habent. 2. *Formaliter*, & ratione modi specialis, uti jam dictum.

§. 9. Ratione principii communicantis, Communicatio alia est *Necessaria*, quæ ad unum oppositorum in actu exercitii est determinata, adeoque non indifferens ad utrumque. Talis communicatio est inter ignem & ferrum quoad calorem, quem ignis, intimâ *ἡ ἐκχώρησις* ferrum permeans, non potest non communicare ferro. Talis communicatio *juxta Scholasticos* est, quâ DEUS Pater totam suam Essentiam, ac proinde totam suam bonitatem communicat Filio & Spiritui Sancto. Hæc autem divina cōmunicatio nō est per participationem, quia communicatio per participationem in Metaphys. duo importat. 1. *Distinctionem essentialem* inter communicantem & participantem. 2. *Inferioritatem ordinis* in participante, quod pater de bonitate in DEO & creaturis, unde Matth. 9. cap. solus DEUS dicitur bonus. Alia *Libera*, quæ est indifferens ad utrumque oppositorum, h. e. Communicationem & non communicationem. Talis communicatio est, quâ Præceptor suo discipulo communicat doctrinam. Talis itidem communicatio est, quâ DEUS communicat se creaturis, quæ fit in triplici genere causæ. 1. *Efficientis*, quia DEUS effectivè producit omnem bonitatem & perfectionem creatam. 2. *Exemplaris*, quia bonitas & perfectio DEI, est quædam Idea & exemplar bonitatis & perfectionis creatæ. 3. *Finalis*, quia DEUS, cum sit summum bonum, allicit & movet nos ad sui amorem & desiderium. Hinc axioma illud: Bonum est diffusivum seu communicativum sui, scilicet per amorem & desiderium. Vid. Thom. q. 6. art. 4. Becan. Theol. Schol. P. I. tract. 1. cap. 4 t 6.

§. 10. Ratione Extremorum participantium communica-
 tio alia Intellectualis alia Realis tradente ita Excell. Dn. Praeside
 Theor. Diss. XVI. cap. 2. & Metaph. Exemp. l. 2. c. 21. Intellectualis,
 quando subjecta realiter distincta non sunt, qualis est ista καὶ
 μεθεξῆς, ubi propria generis communicantur speciei, & propria Spe-
 ciei Essentialiter participantur ab Individuis, & illa καὶ συνυπο-
 χύει, ubi propriam partem dicitur de toto. Realis est, plurium rea-
 liter distinctorum in uno communio. Estq; vel inter accidens &
 accidens, ut dulcedo & flavedo in lacte, Metaphysica & Phy-
 sica in studioso. Vel inter substantiam & modos essendi, qualis
 est in Ente, cujus essentia communis est Unitati, Veritati, Boni-
 tati: Vel inter substantias & substantias easq; vel separatas par-
 tim καὶ μετέξωθεν, cum communicatum deserto communicante
 transit ad id, cui communicatur: v. g. cum sonus ex ore Pastoris
 transit ad auditores, cum donum ex manu donantis transit ad
 alterum. partim καὶ ἀλλοποίνων, cum communicans omnia sua
 retinet & tamen sibi simile, numero diversum in altero producit, illiq;
 sese communicat: quemadmodum Pater se communicat Filio, ita
 nervosè describente Clariss. Sperlingio, Philosopho famigeratissimo,
 Dn. Praeceptore atq; Promotore meo observanter atq; debitè colendo De
 O. F. pag. 72. vel conjunctas, diciturq; κοινωνία καὶ ἔνωσις καὶ συν-
 δύναμις, quæ nobis potissimum hoc loco, tanquã præcipuum ana-
 logatum, definita fuit in Theoremate. Ubi continetur 1. Prin-
 cipium hujus communicationis, nempe unio intima quandocun-
 que enim propria communicantur, unio subjectorum necessa-
 riò præcessit antea. 2. Modus hujus communicationis; partim
 illegitimus, καὶ ἄρπον: non fit per multiplicationem, non per
 transfusionem; partim legitimus καὶ θέσις, nempe 1. Communis
 possessio 2. Communis usurpatio 3. Communis denominatio. Ita-
 tamen, ut ubiq; attendatur id, quod aliquid habet πρῶτως & καὶ
 ἕξωθεν & quod aliquid habet δευτέρως & καὶ ἐξῆς.

§. 11. Ex hâc sanâ ablectoris Philosophiæ doctrinâ possu-
 mus plurimis morbidis Calvinianorum Φλυαρίαις in occursum
 ire. Dicunt ipsi: Si propria communicantur, tum erunt commu-
 nia, & non amplius propria. Dicimus nos; aliud esse κοινὸν s.

commune, & aliud *κοινωνητόν* sive communicatum. Communi-
catum esse proprium adstruimus, non commune. Manet ad-
huc proprium sui subjecti, licet communicetur alteri. Modus
attribuendi tantum variat, res ipsa manet una & eadem. Dicunt
ipsi: Quorum Definitio & Essentia non est communis, eorum
nec propria sunt communia. Atqui subjectorum realiter di-
versorum &c: Ergo. Dicimus nos; totum concedendum esse.
Manent adhuc propria & competunt uni subjecto proprio &
adæquato per se & primariò: Communicata autem quò fiant
nihil prohibet. Deinde ad Min. reponimus: Illa subjecta sunt
vel realiter diversa & quoad essentiam & quoad Existentiam si-
mul, & sic non potest esse communis ipsorum Essentia: vel sunt
realiter distincta tantum quoad essentiam copulata, interim ad
unum aliquod indivisum *ἐν τῷ αἰρέοντι*, quod pervadunt *περιχωρή-
σι* mutuâ & sic alterum alteri se communicat. Dicunt ipsi: Ita
unum numero accidens migrabit de subjecto in subjectum. Di-
cimus nos; aliud esse *κοινωνικὴν κατὰ μέλη βασιον*, & aliud *κατὰ συν-
δύασιν*. Propria unius uniti sunt in altero unito, non *μεταβασι-
κῶς* & transitivè, sed *μεταδοτικῶς* & distributivè, uti loquitur
*Venerandus Dominus Senior & Præceptor noster. D. Jac. Mart.
Cent. 2. qu. Illust. Diss. 2. qu. 2* Dicunt ipsi: Aut omnia propria com-
municantur, aut quædam, aut nulla. At non omnia, quia non
communicatur corpori spiritualitas, nec humanæ Christi natu-
ræ Infinitas. Nec quædam, quia ea est *ἑαυτοῦ ἑσῆς* Essentiæ divi-
næ cum primis cum attributis suis, ut communicato uno neces-
sariò communicetur alterum. Ergo nulla. Dicimus nos, 1. in
genere: Hic discursus ex depravata rationis lacunis contra pu-
rissimos Israëlites fontes haustus est, & ita eadem facilitate rejici-
tur, quâ adducitur. 2. In specie 1. dist. est inter *χρησιν καὶ κτήσιν*.
2. Inter communicationem mediatam & immediatam. 3. Inter
attributa *ἐν εὐγενήϊ καὶ καὶ ἀνευ εὐγενήϊ*. Quæ nunc pluribus dedu-
cere haut vacat. Videantur hanc in rem accuratiora & elabora-
tiora apud Dn. D. Jac. Mart. & D. Schrödernm in libellis singu-
laribus de communicatione priorum. D. D. Gerhard. & B.
Meisn. Phil. Sobr. Part. 1. sect. 1. Quæst. 2, Dn. Præsidentem Theor.
Disp.

Disp. XVI. cap. 2. quæst. 1. aliosque quâ Phillosophos quâ Theo-
logos Orthodoxos. Nos manum de tabulâ, Ne ultra crepidas
transiisse dicamur, ad exempla Patrum rationibus & Exem-
plis Philosophicis, ut ferri igniti, corporis animati, lucis primi-
geniæ &c. Unionem personalem in Christo illustrantium, re-
velatæ veritatis quædam tantùm vestigia seu simulacra etiam
ex Philosophiâ & naturâ peti posse, (licet solâ ratione ad fidei
mysteria cognoscenda evehi nemo queat) & naturalem cog-
nitionem non destrui per revelationem ulteriorem divinam,
sed perfici adstruximus. Deo Triuno pro præstito hoc nobis
beneficio gratias agentes infinitas, cui sit honor, laus,
Decus & gloria in sempiterna
secula.



TERMINALIA

AD.



Ad Doctissimum,
Dominum Respondentem, Convictorem
suum, de usu Philosophiæ disputantem.

Doctrinæ Sacrae Sophiam qui jungit, is olim
Dexterius populum sacra docere potest.
Quod cum ritè facis, verà cum laude futurum
Te, Kleschi, Magnum prædico Theiologum.

Jacobus Martini SS. Theol. D.
& Profess. Prim. Academ. Senior,
Templ. Cathedral. Præpositus &
& Consist. Ecclesiast. Assessor.

ERgò Metaphysices promissæ Theoremata, KLESCHI,
Convenientque sacris quâ ratione doces?
Scilicet; insignes his te fecisse profectus
Testaris Sophiæ & Theologiæ in studiis.
Cœtera; salvifici viridantia semina verbi
Exponis populo gratus ab ore pio.
Unde Magisterii dignus reputaris honore,
Quique geras Mystæ nobilioris opus.
Ne dubites, pro te pietas studiumque loquentur,
Ipse DEUS, scripta hæc publica charta typis.
Felices, qui sic juvenilis tempora vitæ
Explerunt! manet hos publica fama, decus.

M. Johannes Hertvicius, olim Pragæ
ad Æd. Majorem D. Stephan. & S. A-
pollinaris Pastor & Consistorii ordi-
num sub utraque communicantium
Assessor, Exul CHRISTI, Stipend. Ele-
ctor. & Hospes Acad. Wittebergæ.

Magna

Magna quidem Sophia & non illaudabilis ars est
Et per se nulli subijcienda Scholæ.

At tamen in reliquis magnum probat artibus ulum,

Atque suas aliis sæpè ministrat opes.

Ista probas, Kleschi, tantas edisseris artes,

Multaque doctrinæ das documenta tuæ.

M. Johannes Meisnerus, Colleg. Phil. Adj.

KLESCHI, Paterni non neganda Spes soli!

Sublimioris Ingeni vires nihil

Tui latere sustinet: Recondita

Oracula, & sensus tenes, quos cœlitum

Myſteria exprimunt, capaci pectore,

Ignota multis; quin & id quod ultimus

Sophiæ recessus abdito condit sinu;

Haut restat ullus, quem Tibi vincas, labor!

Caligo non sic nocte de cœcâ premet,

Sed Fama summo nomen appinget polo

Plagis & imis: Operis exemplum, satis

Talenta mentis igneæ, Doctis probat,

Ausu secundo. Laudis immensæ decus,

Quod Impetus dexter meretur, & sacrum

Molimen, instat; arripe, exponet decus

Præsens Apollo, quod Tuis & Patriæ

Terræ, Tibique prosperum reor, precor.

Hoc, quod per exiguum est, amicissimo

Dn. Commensali debebat

M. Elias Reibold Torg.

Abdita sensa modis variis scrutanda Sophiæ

Non horæ labor est unius, atque loci

Hinc subiisti æther peregrinum, Lare paterno

Post habito studii ductus amore pii

Post Argentinæ Musas, lustrare Camœnas

Leucoreas Te non impedière via

Hancque sui Musæ constantem ornare laborem

Nitentur, nec in his Patria deses erit.

Amico suo sincero & commensali adposuit

M. Georgius Nitnerus Pulsnit. Lusatus.

A Libi quid egeris, quid hîc, satis doctis
Testaris ingenii ipse fœtibus, Klefchi?
Alibi quod egesti, quod hîc, Deo totum
Ejusq; mancipare Te decet laudi.
Refunde promptus, quas Deus dedit, dotes
Ecclesiæq; patriæq; commoda impende,
Queis cedat, æquum est, temporis labor tanti;
Nec, quàm diu Solymis, sed quàm benè impendat
Quis tempus, ingenuæ decus meret laudis,

GEORGIUS POCH
Sempronio Hungarus.

Sub DUCE MARTINI, nuper te vidimus arte
Dogmate de Sacro differere in Cathedrâ.
Nunc iterum sub SCHARFIO ades; conatibus ergò,
Ex animo hisce tuis omnia fausta precor

Dn. Conterraneo, convictori, &
amico s. gratulab. adj.

Johannes Kotay,
Cassowia Hungarus.

Ne multùm sudasse juyat! Te Leucoris alma
Tenet ne, Frater, adhuc & usq; detinet?
An studiorum ardor, quibus ad sublimia tentas
Gressûs, inexorabiles moras parat?
Ut Matris precibus nequeas (quid patria?) flecti;
Et hæc vocat, nec illa votis destitit.
Perge, prius titulos, quos donat Apollo, capesse,
Assurge promptus deinde, quò Deus jubet.
Næ tandem sudasse sat est! dabit ocia Jovah;
Quid ocia? accinget sacris laboribus.

Ita Germano suo peregrè
gratatur.

Christophorus Klefch
Iglô Hungarus.

F I N I S

Ung. VI 37


ULB Halle
003 913 872 3



Sl.

V3 17







Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

ΑΥΔΟΧΕΥΔΣΤΗΝ

29

ATIONE TER-

orum ad res Mysti-
logicas.

e ventilat modum appli-
ue terminorum,

IUS & UNIONIS, genui-

onfutat. Utraq; Sophismatis
ianorum cum primis,

e Opposita,

spiciis suscepta,

Albim Leucorea.

SIDIO

fimi atque Excellentissimi

HARFFII, S.S. Th.

ue meritissimi, Logices item

Ordinarii, celeberrimi,

atroni sui ætatem

ndi.

gratiã proposita

IO IGLOWIENSE

aro.

o Majore,

L. ad diem Febr.

ERGÆ

eri Acad. Typogr.

h. III. 1732

*nto et clausuro Vno.
tra Gunttero. 29 Regal orator
pmissio offert Anter et resp.*